DE ALLITERATIONIS USU PLAUTINO PARTICULA PRIOR.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
ALBERTINA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM THESIBUS
DIE XXIV. MENS. NOV. A. MDCCCLXXXIV, HORA XII.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

JOHANNES BASKE,
MAG. ORDIN. GYMNAS. WEHLAV.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
OTTO RAUSCHNING, DR. PHIL.
KURT BASKE, MAG. ORDIN.

REGIMONTI PRUSSORUM.
TYPIS KIEWNINGIANIS.
MDCCCLXXXIV.

HENRICO JORDAN

PROFESSORI REGIMONTANO
ILLUSTRISSIMO

OTTONI EICHHORST

RECTORI GYMNAS. WEHLAV.
PRAECLARISSIMO

VENERABUNDO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Non multo postquam, qui nostrae poësis indoli atque principiis investigandis operam dederunt viri docti, alliterationis, quae dicitur, vestigia secuti sunt eiusque de legibus et usu in carminibus vetustissimis disputare inceperunt, illud studium etiam ad linguam latinam et graecam translatum est. Ac primum quidem quaestio illa, quamvis a priorum temporum grammaticis non esset neglecta, parvi videbatur momenti neque magnum promittebat eventum.

Deterrebat, ni fallor, sententia Lachmanni, v. illustr., qui*) alliterationem ab usu *graecae* linguae plane abhorrere, linguae *latinae* non nisi in *priscorum* fortasse poëtarum operibus *hic illic* percipi posse confirmavit.

Cum autem magis magisque animus attenderetur ad priscae latinitatis sermonem rationemque, cum reliquiae illius aetatis emendarentur et corrigerentur, virum, quem supra nominavimus doctissimum, in hac re erravisse apparebat.

Iam delectabat, vestigia alliterationis vel in aliorum populorum sermone sequi, quod huic quaestioni nova attulit incrementa.

---

*) v. Halle'sche Encyclopädie s. v. Alliteration et Lachmann Kl. Schr. I, 138: „es ist wohl wahrscheinlich, dass die Alliteration ursprünglich germanisch sei, während es zweifelhaft bleiben mag, ob der Reim nicht vielleicht aus dem Orient gekommen ist. Dennoch war es nicht eben thöricht, im Homer die Alliteration zu suchen, wohl aber, sie darin zu finden; bei den uralten römischen Dichtern würde man vielleicht nicht vergebens suchen“.

Accessit, quod multi nostrae aetatis poëtae Germani, omnibus artificiis confarreandi, ut ita dicam, homoeoteleutis versus suos plane exhaustis, ad vetustum illum usum redierunt, imprimis illi, qui argumenta sua et fabulas ex heroicis nostrae gentis temporibus depromebant, ut rebus antiquis antiquum darent colorem.

Itaque factum est, ut iam ubique in carminibus nostrae gentis atque aetatis illàm dicendi figuram inveniamus et ad eam percipiendam a pueris quodammodo assuefacti simus, magis profecto assuefacti quam aequales nostri, qui non sint Germani. Qua de causa a nostratibus grammaticis de alliteratione identidem disputatum est, ab aliorum populorum viris doctis hanc quaestionem omnino*) fere neglectam videmus.

Atque si hoc loco de alliterationis usu Plautino paucis disserere conatus sum, ea de causa feci, quod, qua natura atque indole haec orationis figura in lingua latina fuerit, ex Plauti sermone optime aptissimeque explicari posse crediderim. Nihilominus facere non possum, quin usum illius formulae vel in aliis priorum posteriorumque temporum monumentis expendam et constituere contendam, quomodo orta sit alliteratio et quam vim habeat in gentis Latinae sermone, quamobrem decreverit et quando evanuerit, quia hac quaestione usus Plautinus certe quodammodo illustrabitur.

Rei igitur explorandae initium altius paullo videtur petendum esse:

Infantiam quasi orationis humanae omnino magis lege affinitatis et similitudinis, quam varietatis verba componere in effingendis, quae sentiantur, tam verisimile atque comprehensibile, quam ex rerum ratione et natura est. Con-

---

*) excepto Havet, qui in libri de Saturnio Latinorum versu Paris, 1880, p. 424, uberius de hac orationis figura egit.

templantes enim sermonis vulgaris consuetudinem percipimus, simplicitatem quandam mentis non ita in longis impeditisque cogitandi, comprehendendi, dicendi itineribus versatae, abesse a cultus comptioris atque eruditioris contentione, ab aetatis laetius provectae studio, arte quadam, quae proferantur, ornandi atque variandi, contentam esse repetendis verbis vel eisdem vel simile sonantibus, „sibi placere“, quod Columna dicit, (p. 60. edid. Hessel.) „in verborum syllabarumque earundem similiumve iteratione, ita, ut cumulentur verba, quae eandem notionem et formationem atque hinc literas easdem habeant, tum ut adiungantur alia eodem sono“. Cum, quae proxima sunt, conquirantur, in narranda aliqua re et exponenda crebrae verborum vel eorundem vel inter se cognatorum iterationes inscientibus vel neglegentibus excidunt atque incuriose cooriuntur; in colloquiis proposita ita diiudicat, qui respondet, ut vel cum susceptione eorundem, quae ab altero paullo ante audiverit, verborum se aut consentire cum eo aut ab eo dissentire demonstret, vel ut illius verba in suam vertat sententiam.

Atque infantiore quodammodo complurium linguarum aetate, cum vel ab hoc usu, quasi eodem loco permanendi, neque migrandi in aliena, ne dicam gaudium, certe animadversio non modo sensus, sed etiam soni similitudinis non abesset, accessit, ut iam literarum singularum in verborum initiis positarum concentus, iam vocabulorum in ordine sermonis se sequentium consonantia*), ut ita dicam, externa — quae non spectabat ad sententiarum, sed ad corporum similitudinem — exsisteret, coorta perciperetur, percepta

*) v. W. Grimm „zur Geschichte des Reims“ Abh. der Akad. 1851 p. 697: „Gleichklang findet sich leicht unbeabsichtigt und von selbst ein und ist wahrscheinlich von den meisten Völkern schon in frühen Zeiten in der Dichtung oder doch in Formeln und Sprüchen angewendet worden“.

quaereretur. Congerebantur enim insito quodam concentus studio, saepius sponte videntur convenisse in formandis et declarandis sententiis verba, quae paribus literis tamquam in capite positis ornata erant atque coniuncta, ὁμοιοκέφαλα, quia iteratis eo modo vel singulis literis huic aurium delectationi similitudinisque efferendae desiderio serviebatur. Quo duce exsistebant concentu coniuncta, dicta illa breviter, formulae vulgares, proverbia, trita usu, quae, quia verba convocata quasi eodem illo sono signoque acrius impinguntur auribus, concrescebant velut cognata, iam, quia communi illi studio sensuique omnibus insito respondebant, servata semper eadem figura omnium erant in ore.

Processit etiam in consuetudine vulgari complurium linguarum usus ille ad quaerendas maiores eiusmodi delicias: artificiosius enim vel synonyma et verba sibi respondentia arctiore consonantiae illius vinculo continebantur, — ut quasi „cognatum concordia“ commoveamur — vel, lusu quodam, opposita acutius acerbiusque soni similitudine segregabantur.

Neque mirum est, adhibuisse eos, quibus aliquid publice dicendum scribendumve esset, quamdiu quidem ab usitato genere dicendi non discederent, id, quod adeo e consuetudine linguae esset, certe, ubi occurreret, non vitasse. Qui quidem oratores et scriptores saepenumero illius literarum consonantiae non modo usum, sed etiam desiderium, artificiis novis expositis, summopere auxerunt, ludentes in coniungendo synonyma, vel contraria paribus, a quibus incipiebant, literis, vel aliis eiusmodi facetiis auditorum aures permulcentes et captantes; quae dictiones, quia a pluribus audiebantur vel legebantur, diutius in omnium conspectu et memoria manebant. Nisi insita haec et inveterata, sed fortuita et temere orta vel non animadversa essent, in singulis linguis non possent esse tam late effusa,

Ne autem quis credat, perverse nos iterationem vocum cum illa literarum singularum consonantia coniunxisse et ab eodem fonte quasi duxisse, sibi in mentem revocet, utrumque valere una, una deflorescere, ita, ut alterum sine altero velut cognato vivere neque voluisse neque potuisse videatur.

Cum enim, varietatem sequens, dicendi ars procedit ad ornatum, ut auribus delicatioribus satisfaciat, simplices illae iterationes verborum contemnuntur, concentus literarum, potes dicere, „naturales“ evanescunt paullatim, ut extrinsecus petiti, nec fere accipiuntur nec audiuntur, nisi artificio quodam elaborati offerantur.

Itaque nobis videtur distinguendus esse naturalis vel subitus atque fortuitus illius consonantiae usus ab artificioso, cogitato, quaesito, vulgaris a rhetorico. Priore aetate quarundam linguarum naturalem valuisse, proprium aetatis incomptioris, interdum cum lusu verborum coniunctum, posteriore artificiosum percrebruisse affirmaverim, similitudine soni similia aut contraria arctius continentem aut acrius secernentem vel aliis facetiis aures delectantem atque irretientem.

Atque in lingua Graeca paullo diffusiorem illius formulae usum fuisse, quam fere credere solemus, Mähly*) nobis probavit, in Germanorum carminibus alliteratio ad „versus longos“ componendos aliquamdiu necessaria erat, H. Jordan**) monet, eam vel apud Celtas et Fennos ut ornamentum sermonis adhiberi et Tartarorum Mongolorumque non minus orationem sollemnem quam carmina et proverbia ea esse instructa. Quod si nobis in mentem revocaverimus, sane intellegemus, huius figurae usum vel

*) v. Neues schweizerisches Museum 1864 p. 207—259.

**) Kritische Beiträge zur Geschichte der lateinischen Sprache 167—188.

earum gentium, quas nomine indo-europaearum complecti assuevimus, fines transgredi, et mihi quidem probabile videtur, alliterationem in singulis gentibus sponte oriri et potuisse et posse. Ideo, si duarum gentium propria est, ea re sola non satis apparet, easdem gentes inter se propinquiore affinitate coniunctas esse, quam alias, quarum sermo alliteratione careat. Ergo, quod supra dictum, infantiae potius, imperitiae cuiusdam, usus vulgaris signum in singularum linguarum vita eam putaverim, quam certum communis originis vestigium.

Sed iam conemur agere de principiis illius formulae in lingua latina. Ad quae constituenda nuper plurimum contulit H. Jordan in libri, cui inscripsit „Kritische Beiträge zur Geschichte der lateinischen Sprache“ p. 167.—188., quem in hac commentatione sequimur.

Antiquissima aetate sermonis latini vel in oratione pedestri hanc figuram viguisse, si, quae supra de initio atque origine alliterationis constituta sunt, reputamus, mirum iam non videtur. Ex proverbiis igitur similibusque dictionibus, quarum si non semper forma, at certe origo sine rythmo vel metro fuisse debet, alliterationem effloruisse confitendum est. Deinde alliteratio saepe adhibebatur, cum quis significantius et sententiosius, sollemnius et gravius aliquid pronunciare, confirmare, demonstrare vellet; quamobrem formulae sollemnes, formulae precandi, normae iuris vel divini vel profani, quales multae orationi pedestri addicendae sunt (v. Jordan l. l. p. 179.—184.), non raro alliteratione ornatae erant. Non paucae tamen illo ornatu carebant. Itaque neque rythmus neque alliteratio in his formulis necessaria erant.

Quod sermonem pedestrem adeo ornabat, amplificabat, locupletabat, poëtis scilicet antiquissimis acceptum erat, praecipue Germanis et Romanis. Itaque cum in comparanda eorum reliquiarum indole, origine, historia grammatici

quidam constituissent, versum saturnium, antiquissimum poësis Latinae vel Italicae metrum, simillimum esse illius „versus longi“, non multo post sibi persuaserunt, etiam in lingua latina priscis temporibus alliterationem ut versus componendi rationem atque legem viguisse. In tractandis enim antiquissimae aetatis carminibus latinis confirmant, in eis reperiri, quod nostrates nominent „Stabreim“. Quam severissimam alliterationis formam in linguae nostrae carminibus usque ad saeculum IX. p. Chr. n. adhibitam cognoscimus. Illa enim aetate ratione certa et quasi lege lapidea in quovis versu longo vel quătuor, vel tres, vel certe duae syllabae, ictu ceteris antecedentes ita inter se reddebantur concinentes, ut in duobus hemistichiis vel binae voces vel singulae, vel ut in altero duae, in altero una eadem alliteratione, partim certis pedibus addicta, coniungerentur.

Sed ne v. saturnius quidem, quomodo saltem nunc a plurimis viris doctis definitur, nostratium versus longi adeo similis est; nedum alliteratio Romana talis sit, qualis in nostrae gentis carminibus exsistit.

Nostrae enim poësis versus longi ex octo pedibus constant, rythmice feriendis; in utroque hemistichio quaternae arses sint necesse est. Theses ubique aut plane omitti aut ex compluribus syllabis constare possunt, quia non solum arses, quae praecedunt, ubique ad terna tempora extendi possunt, atque per se pro totis trochaeis sunt, sed etiam theses ubique possunt solvi. At saturnium, qui lege quantitatis metiuntur eiusque hemistichiis tres vel duas arses addicunt, inter quas certis modo locis theses omitti vel solvi possint, illi hunc versum non ita apte cum „versu longo“ comparant.

Si porro alliteratio ad versus componendos non minus in Romanis quam in nostrae poësis carminibus necessaria fuisset, in omnium alicuius carminis versuum binis hemistichiis

eam exstare oporteret; praeterea autem eos modo versus acciperemus, in quorum utroque hemistichio singulae syllabae, alliteratione coniunctae, sub ictum caderent, nam non nisi hac ratione in nostris carminibus alliteratio, ut ita dicam, legalis constituitur.

Sin vetustissimum alliterationis usum, quoad quidem ex carminum Latinorum reliquiis cognosci potest, expenderimus, admodum parvum numerum versuum reperiemus, quorum hemistichia alliteratione nostratium more adhibita contineantur; itaque, si unquam ulla aetate alliteratio in poësi latina ad versus componendos necessaria erat, sane vestigia illius usus leviora esse non possunt.

Cuius rei argumenta Henrico Jordan debemus, qui (l. l. p. 172.) computavit, quot versus in poësis epicae et dramaticae reliquiis alliterationem ostendant, tum antiquissimos versus Saturnios ad alliterationis usum atque originem constituenda percensuit. Qua ratione demonstratur, in operibus Ennii circiter septimum quemque versum, in Lucilii decimum, in Lucretii septimum, in Plauti nonum, in Terentii vigesimum alliteratione esse praeditum, tum in reliquiis Livii, Naevii, inscriptionum sepulcr. et votivar. quintum fere versum alliterationem ostendere, cum in centum sexaginta v.v. saturniis triginta fere alliterationes inveniantur. Sane tenue vestigium necessarii illius figurae usus.

Ne in Arvalium et Saliorum quidem carminibus, antiquissimis saturnii latini reliquiis, alliteratio similis est alliterationi, quam in nostris „versibus longis" adhibitam videmus. Quare concludendum est, etiam alia carmina sacra, quae nobis iam non exstant, alliterationem, quam diximus necessariam, non adhibuisse.

Perexigua est alliteratio in carmine fratrum Arvalium, cui Jordan (l. l. p. 176.) unam modo alliterationem nostratium more adhibitam addicit. Quae, cum vocalibus constituatur,

certe non ita acute auribus impingitur; tum duas in singulis hemistichiis factas demonstrat. Sed quamvis praeter voces illas „**a**lternei **a**dvocapit“, „**in**currere **in**“ „**f**u **f**ere“ (v. Jordan l. l. p. 192. et 203.) in versu tertio etiam „**s**atur — **s**ali **s**ta“ fortasse ut alliteratio audiri possit, quae etiam acuitur voce „**s**emunis“ proximi versus*), tamen illa alliteratio cum nostrae gentis alliteratione comparari non potest, ubique libera est, non legalis.

Neque maioris momenti est alliteratio in carminis Saliorum versibus

dívum émpta cánte divúm deo súpplicánte

et

qúne tonás Leucétie prae téd tremont [homónes]*)

Nam cum in prioris versus secundo hemistichio „**d**ivúm **d**eo“, in posteriore versu „**t**onás“ et „**t**remónt“ sub ictum non cadant, minus auditas eas esse crediderim, quam alliterationem illam in nostris versibus legitimam, Hildebrandslied v. 22.

brût in **b**ûre **b**arn unwahsan,

vel eiusdem carminis in v. 51.

wëlaga nu **w**altant got! **w**ê**w**urt skihit,

quae cuiusvis versus hemistichia continet.

In tabulis Iguvinis hic illic alliterationes inveniuntur, quas Jordan commemorat (l. l. p. 185.), sed metrum incertum est.

Restant duo carmina, quorum alterum alliteratione immodica abundat, alterum in binis cuiusvis versus hemistichiis alliteratione ornatum videtur, carmen Corfiniense (v. Fiorelli comment. phil. in hon. Mommseni p. 768. et Bücheler mus. Rhen. 33, p. 271. squ.) et carmen Bovianense (v. Fabr. 2873 = Eph. epigr. 2, 189).

---

*) de hac re postea uberius nobis agendum est.

**) v. Jordan l. l. p. 222.

Carmini Bovianensi Jordan (l. l. p. 185) sex alliterationes addicit:

Safinim — **S**acupam, [**p**]am — **p**ostiris, **l**eigos — [**l**]ovfriconos,

quae in singulis hemistichiis inveniuntur. Sed in versu primo

urtám lésd **S**afínim — **s**ácupam iac oínim cénstur

vocis Safínim syllaba **Sa** — non cadit sub ictum, item in versu secundo

Aieís Maraíeis [**p**]am éssuf — ómbn[a]vt **p**óstiris ésidu „[**p**]am" ictu non notatur,

in versu tertio

unáted fésnim **l**eígos — sámii [**l**]ovfriconós fif

alliteratio in vocibus „leigos" et „[l]ovfriconos" facta fortasse obumbratur et minuitur, si voces „**f**ésnim lov**f**riconos **f**if ut alliteratione coniunctas accipimus.

In carmine Corfiniensi porro alliterationes hemistichia singulorum versuum magis dividunt quam coniungunt. Secundum Buechelerum versus hoc modo legendi sunt:

usúr prístafalácirix — prismú petiédu ip vídad
vibdu ómnítu Uránias — écuc émprátois
elísuíst Cérfum — sacarácirix Sémunú sva
aetátu firáta fértlid — praicimé Perséponas
afded eite uus prítrome — pácris púus ecic
lexé lifár dida uus — deti hanústu Heréntas.

Alliteratione coniunctae in versu primo sunt voces „**p**ristafalacirix — **p**rismu **p**etiedu",

in versu secundo „**é**cuc **é**mpratois"*),

in tertio „**s**acaracirix **S**emunu **s**va, fortasse etiam „**C**érfum" et „sacara**c**irix",

in quarti primo hemistichio „**f**irata **f**ertlid", in secundo „**p**raicime Perse**p**onas"

---

*) de alliteratione vocalium postea agetur.

in quinto versu „pritrome pacris puus“
in sexto „lexe lifar dida deti hanustu Herentas“.

Fortasse primus versus cum secundo vocibus „vidad: vibdu“, secundus cum tertio vocibus „écuc: émpratois: elisuist“ alliteratione coniuncti sunt, (de qua re postea agetur). Frustra in hac turba verborum alliterationem praebentium vel minimam umbram alliterationis nostratium more adhibitae quaesiveris, quam ut „necessariam“, ita magis tenuem et exiguam appellare debemus. Coacervantur praesertim in lapidis Corfiniensis versibus eo modo alliterationes, ut etiam hoc loco Jordani iudicium accipiendum sit, qui (l. l. p. 186. squ.) demonstrat, hoc carmen esse affectatae alliterationis, non naturalis.

Quod vel de dedicatione Sorana (C. J. L. I. 1175) et elogio Naevii (Gell. I. 24) dicendum erit, quae ex omnibus Saturniorum reliquiis maximo opere alliterationibus ornata sunt. Ubique in iis huius formulae usus ut uberrimus ita liberrimus est; sensu alliterationis necessariae plane carent.

Dedicat. Sorana has fere alliterationes praebet:

1. Quod re sua difeidens ‖ aspere afleicta
2. parens timens heic vovit ‖ vot(o) hoc soluto
3. decuma facta poloucta ‖ leibereis lubentes
4. donu danunt Hercolei ‖ maxsume mereto
5. semol t(e) orant se voti ‖ crebro condemnes.

In primo modo huius carminis versu alliterationes per duo hemistichia distributae sunt, in vocibus difeidens : afleicta, nam cum in secundo versu alliteratio vocibus eiusdem radicis (vovit : voto) debeatur, non est magni momenti. Aliae alliterationes singulis hemistichiis peculiares sunt, itaque velut in versu quarto et quinto hemistichia magis disiungunt quam continent.

Elogium Naevii his alliterationibus ornatum est:
Immortales mortales ‖ si foret fas flere

flerent divae Camenae | Naevium poëtam.
Itaque postquam (e)st Orci || traditus thesauro
obliti sunt Romae || loquiera lingua latina.

Tres primi huius carminis versus alliteratione „legitima“ carent, quartus modo, in vocibus „obliti : loquier lingua latina“, eam praebet.

Ne in ea quidem inscriptione, quam Bücheler v. ill. (mus. Rhen. 1881 p. 236.) antiquissimam omnium latinarum, quae ad nos pervenerint, existimat, alliterationis indoles alia est:*)

Jove Sa(turno) deivos || qoi med mitat
Nei ted endo cosmis || virco sied asted
Noisi Ope Toitesiai || pacari vois
|| med feced en manom
Einom die noine || med mano statod.

Alliteratio in bina hemistichia distributa in his saturniis omnino non invenitur.

Itaque cum neque in antiquissimis poësis Romanorum vel Italicorum monumentis, neque in eis, quae maxime alliterationis assequendae studium praebeant, haec figura ut versus componendi ratio demonstrari possit, non concedemus, alliterationem legitimam in gente Italica viguisse, quoad versus saturnii exsistant, in quorum quoque hemistichio ictu notatae syllabae, ut ita dicam, capitales, vel binae vel singulae, alliteratione coniunctae nobis ostendantur.

Alia ex parte alliteratio in operibus antiquae latinitatis satis conspicua est. Iam supra commemoravimus, Livium et Naevium, tum Ennium, Lucilium hoc schemate pariter uti, neque minus Lucretium; hic quidem ea de causa, quia poëta severus prisca quaerebat, vel quia arti epicae hoc sumptuosum priorum temporum ornamentum

*) v. Henrici Jordani vindic. serm. latin. antiquiss. p. 4. squ.

conveniebat, vel quia, philosophiae gravi deditus, abhorrebat ab elegantioribus suae aetatis dicendi formis. In Terentii fabulis alliteratio multo rarior est, quam in Plauti operibus. Cum literae Graecae Romae magis magisque tractarentur, cum simplicitatem quandam, frugalitatem, rusticitatem elegantia et urbanitas sequerentur, usus illius figurae orationis paullo decrevit. Recte monet Lochius (v. qu. scr. de usu alliterationis apud poëtas latinos p. 2. et 3.) eam deflorere apud Ciceronem, Catullum, Vergilium, fere omnino evanuisse in poëmatis exeuntis reipublicae primorumque saeculorum p. Chr. n.

Si paucis huius commentationis summam constituere volumus, nobis dicendum erit, in lingua latina alliterationis studium insitum esse priscae aetati sermonis popularis, inveniri eam in proverbiis, formulis consecrationis et precationis, in iuris normis, sive illae orationi pedestri, sive poëticae addicendae sunt, vigere in operibus priscae artis poëticae, neque minus epicae, quam dramaticae. Paullatim mores mutantur: Cum doctrina Graeca ad literas Latinas quodammodo elegantius expolitiusque educandas arcesseretur, concentus ille vocum frugalis a scriptoribus doctis iam non adhibebatur, certe non adhibebatur ab illis, qui varietatem et urbanitatem sequebantur. Usus illius formulae, quem diximus artificiosum, arti rhetoricae cultoque cogitandi et dicendi generi gratus et acceptus est; at evanescunt consonantiae simplices et naturales. Scriptores quidam, velut Quintilianus, ab hac orationis figura plane abhorrent, quia auribus illius aetatis iniucunda et vel multo artificiosior, vel multo simplicior videbatur. Fronto, Apulejus, Gellius, alii alliteratione utuntur, vel priscae aetatis usum imitati, vel ex antiquis depromentes monumentis eiusmodi dictiones.

In poësi vulgari tamen nescio an illius schematis usus diutius viguerit, pariter in carminibus lyricis, in versibus

Saturniis antiquo more compositis, quam in hexametris, distichis, similibus. Cuius rei testimonia tales versus sunt, qualis est ille:

C. I. L. IV., 1824.

Quisquis amat, veniat: Veneri volo frangere costas
Fustibus et lumbos debilitare deae.
Si potest illa mihi tenerum pertundere pectus
Quit ego non possim caput illae frangere fuste?

et ille l. l. 1516.

Hic ego nunc futue formosa(m) forma puella(m)
Laudata(m) a multis, sed lutus intus erat.

Vel in medii aevi operibus poëticis alliteratio satis conspicua est. De qua re disseruit Huemer in libri, quem scripsit „Untersuchungen über die ältesten lateinisch-christlichen Rythmen mit einem Anhang von Hymnen“ Wien 1879 p. 52.—54. cf. etiam eiusdem auctoris „Untersuchungen über den jambischen Dimeter bei den christlich-lateinischen Hymnendichtern der vorkarolingischen Zeit“ Wien 1876 p. 42. Ubi ex carminibus vulgaribus illorum temporum satis magnum numerum alliterationum collegit.

Sed redeamus ad scriptorem nostrum, in cuius operibus frustra vel levissimum illius alliterationis „necessariae“ vestigium quaesiveris. Abundat ille hac forma orationis, sed ubique ita, ut eam libertatis donum, non officium legis putare debeamus.

Cum autem de alliterationis indole atque natura grammatici non consentiant, primo nobis constituendum erit, quae sit alliteratio et quomodo fiat.

Veteres grammatici tam raro et obiter de ea disputaverunt (excepto Servio, qui in adnotatione ad Aen. III, 183. facta paullo uberius de hac luculenta priorum temporum hereditate disseruit), ut ne nomen quidem, ab omnibus acceptum, ei inderent,

Primus Joannes Jovianus Pontanus commemoretur, qui, ut nomen rei proprium reperit, ita uberius rem illustravit. Illud igitur, cum melius, quam cetera ei imposita, virtutem eius comprehendat, usque ad hoc tempus ei significandae adhibetur; definitio, qua eam complexus est vir ille doctus, quamvis non omnino plane perfecteque totam eius imaginem exprimat atque effingat, tamen huius quaestionis fundamentum magna ex parte firmius solidiusque constituit. A qua profecti latiores illius regionis fines circumspiciemus. Ad literas, non ad verba spectat alliteratio „Fit enim", ut dicit Pontanus, (in dialogo Actio, p. 235. squ. ed. Basil. 1538) „alliteratio, quoties dictiones continuatae, vel binae vel ternae ab iisdem primis consonantibus, mutatis aliquando vocalibus, aut ab iisdem incipiunt syllabis aut ab iisdem primis vocalibus."

Itaque non est concedendum, quod quidam sibi persuaserunt, sicut in lingua nostra, omnes vocales promiscue alliteratione coniungi. Quod inter alios Karolus Bartsch contendit in libri, quem scripsit „der saturnische Vers und die altdeutsche Langzeile." Leipzig 1867 p. 29.: „In der deutschen Poesie alliterieren auch die Vocale unter einander, d. h. der Spiritus lenis, mit welchem vocalisch anlautende Wörter beginnen. Daher kommen noch hinzu: **al**ternei-**a**dvocapit C. Arv. 4. argenteo-**au**reo Liv. 5. **a**mploctens-**o**raret 21. Quem sequitur Rich. Klotz „Alliteration und Symmetrie bei Plautus" Zittau 1878, qui in Mil. glor. v. 12. „**ae**quiperare **a**d", 33. „**o**mnes has **ae**rumnas **au**ribus", 53. „**u**no **i**ctu **o**ccideras" ut alliterationes vult accipi. Ne „a": „o", vel „au": „a" quidem alliterationem faciunt, quod Wölfflin „über die alliterierenden Verbindungen der lateinischen Sprache" nobis probare studet. Qui alliterationem audiri putat in vocibus, quales sunt „**au**rum et **a**rgentum, **au**ctor et **a**diutor, **a**lit et **au**get

Nam etsi in linguae nostrae carminibus, ubi alliteratio necessaria est, eam vocalibus promiscue coniunctis constitutam debeamus accipere, nisi forte verborum seriem carminibus intersertam esse putamus, quae versus componendi rationi atque legi subiecta non sint, tamen confitendum erit, vel in lingua nostra aliam delectationem ex iis hauriri, quam ex versibus, qui consonantium alliteratione contineantur. Hic est eorundem sonorum iteratio, quae aures permulceat, ibi harmonia variorum; hic est, quod dicimus „Gleichklang", ibi, quod dicimus „Accord". Sed in lingua latina, ubi alliteratio, — quoad ex monumentis, quae nobis sunt servata, percipere possumus, — numquam erat necessitas, ubi multo maior versuum numerus ea caret, in talibus versibus, quales sunt

Pseud. 128.
omnibus amicis notis edico meis

Pseud. 157.
tu qui urnam habes, aquam ingere: fac plenum ahenum sit cito

Pseud. 399.
neque exordiri primum unde occipias, habes
alliterationem non invenio.

Quod Wölfflin l. l. p. 21. de pronunciatione „au" vocalis confirmat, eam in lingua quotidiana (Festus p. 182.) non aliter atque „o" vocalem auditam esse, concedendum est, itaque „**au**rum: **o**richalcum", **au**ratum: **or**natum", **om**en: **au**spicium Plauti temporibus alliterationem constituunt.

Itaque in sermone Latino „a" modo cum „a" vocali, „i" cum „i", „u" cum „u", (non cum „j" et „v") alliterationem faciunt. Etsi saepe vocalium alliteratio non ita acriter auribus impingitur, tamen in his versibus eam satis esse conspicuam confirmaverim, v.

Bacch. 471.
atque ea acerrume aestuosa absorbet, ubi quemque attigit
ibid. 487
ut illi illius inspectandi mi —
ibid. 517
igitur mi inani atque inopi —
ibid. 544
sibimet ne invideatur ipsi ignavia —
ibid. 561
quid istuc est? quid est? misine ego ad te ex Epheso epistulam
578.
adi actutum ad foris
719.
álteram ille amat sororem ego alteram ambas Bacchides
Persa 222.
Offirmastin' occultare quó te inmittas
250.
— ábi et ego abiero: ámbula
672.
— ábeo átque árgentum ádfero
Merc. 973.
ádulescenti amánti amicam eripere emptam argento —

Neque magis consonantes diversae alliteratione coniungi possunt, tenuis modo cum tenui, media cum media. Apud Plautum etiam c: qu, p: ph, c: ch, quia pariter sonuerunt. Cum complures consonantes in initio singularum vocum positae exsistant, pares modo cum paribus alliterationem efficiunt, velut sp : sp, sc ; sc, st : st, pr : pr, similia.

Sed vel s : st : str, item st : str, st : sp : sc alliteratione coniunguntur.

Stich. 460
quom strena mi obscaevavit, spectatum hoc —

ibid. 592
quin tum stans obstrusero aliquid strenue
Bacch. 429
saliendo sese exercebant magis quam scorto aut saviis
ibid. 1000
non prius salutem scripsit? nusquam sentio
ibid. 1023
estne istuc istic scriptum? en specta, tum scies.
Pers. 123/5
— oportet parasitum probe
ampullam strigilem, scaphium, soccos, pallium
marsuppium habeat: inibi paullum praesidi
ibid. 417/9
sine respirare me tibi, ut respondeam
vir summe populi stabulum servitutium,
scortorum liberator, suduculum flagri
ibid. 452
sic eí procedunt postprincipia denique
ibid. 732
ita mihi supellex squalet atque aedes meae
Pseudol. 72
haec, quae ego conscripsi, ut scires curavi omnia.

Sed redeat, unde abscessit oratio: Pontanus igitur nomen rei proprium invenit. Quibus enim alii, qui huic orationis formulae indagandae, constituendae, illustrandae, operam dederunt docti, significationibus eius naturam evolvi et quid sibi velit alliteratio, comprehendi posse putaverunt, illae vel aliena quaerebant, vèl nimis ambiguo erant sensu, vel species modo quasdam, ad eam pertinentes, continebant.

Ac primum quidem „annominationis“ sive „paronomasiae“ vox (asserenda, quam Quintilianus VI., 3,53 „nominum fictionem“ vocat), quam a Julio Rufiniano videmus

acceptam, non satis apte, quid sit alliteratio, demonstrat.*) Nam cum παρονομασία in oppositione verborum vel idem vel simile sonantium, diversa sequentium et significantium constet, alliteratio, quamvis saepe annominationi respondeat, saepe cum ea conveniat, per se non spectat ad verborum sensum, sed in literis versatur, per se neque oppositionem contrariorum neque appositionem similium expetit, tota referenda est ad captandam aurium benevolentiam. Neque rectius neque accuratius Quintilianus (IX, 3,75) propriam alliterationis vim appellatione „similium" illustravit. Nam etiamsi praetermittimus illud, quod creberrima alliterationis forma (ubi una litera in duorum vocabulorum initiis iterata efficitur „simile") ab illo neglecta est, facile concedetur, omnino illa notione rem esse parum definitam. Alia nomina a Naekio (l. l. p. 327.) exposita invenimus: ‚παρίσωσιν' dicit Victorius Var. Lect. 27,11, geminationes Gifanius coll. Lucr. (v. geminat.), παρήχησιν J. Gulielmius Quaest. in Plaut. Amph. C. 1, G. I. Vossius instit. orat. lib. IV. 2 et V. 5, 3, Gessnerus ad Quint. IX, 4, 41.**)

Nostra aetate F. Naekius primus explicatius et summa industria de hac figura orationis egit, — relictis, qui hic illic editionibus, adnotationibus, emendationibus suis inseruerunt singula, grammaticis (ex quibus ante alios Lindemannus nominandus est, v. qu. scr. ad Plaut. Capt. II, 3,49) — libro, quem scripsit de alliteratione sermonis latini (mus. rhen. 1829 p. 324—418.) Qui vir amplissimus, quamvis interdum minutiora secutus sit et nonnumquam

*) de qua re Naekius scr. in libri „de alliteratione sermonis latini" p. 326, quem sequitur Lochius l. l. p. 4.

**) alia addidit Mähly „über Alliteration" (v. Neues schweizerisches Mus. 1864) p. 217. sq. et Wölfflin (Sitzungsberichte der königl. bairischen Akademie der Wissensch. philol. Kl. 1881. Bd. II, I) p. 25 sq.

plura viderit, quam quae alii videri posse censeant, (cf. quae Luc. Müller de eo iudicavit in disputationis, quam habuit „de re metrica" p. 452.), tamen summa dignus est reverentia: Recensuit, emendavit, expendit priora et novis luminibus totam rem collustravit.

Post hunc non pauci*) de alliterationis indole et in lingua latina et in graeca egerunt.

Commentationem, quam Henricus Jordan de hac re composuit, iam supra commemoravimus, qui alliterationis originem in antiquissimis et orationis pedestris et poëticae reliquiis expendit, eius vim atque rationem in lingua latina constituit, quomodo paullatim novo dicendi generi in poëtarum operibus cesserit, demonstrat. Ex ceteris hoc loco Lochium commemorem, qui dissertatione, quam „de alliterationis usu apud poëtas latinos" conscripsit, (dissert. inaugur. philol. Acad. Alb. MDCCCLXV) hoc modo disputat, ut (v. p. 4.) Plauti et Terentii fabulis, ex quibus Naekius ad rem suam tenendam praecipue copias sibi paraverat, praetermissis, omnium poëtarum opera vel reli-

*) Praeter alios R. Buchholz de alliterationis indole atque natura usuque Homerico lineamenta. J. Theobald de annominationis et alliterationis apud Ciceronem usu Bonnae 1852. A. Schlüter veterum Latinorum alliteratio cum nostratium alliteratione comparata Monast. Guestfal. 1840. Carl Ziswa die eurythmische Technik des Catullus. Rich. Klotz Alliteration u. Symmetrie bei Plautus Zittau 1878. G. Landgraf etymologische Figuren. act. semin. Erlang. II p. 1.—69. Preuss de dissoluti bimembris apud scriptores latinos usu sollemni Edenkoben 1881 p. 50. Obiter de alliteratione egerunt in libris suis, quos scripserunt Carolina Michaelis Studien zur romanischen Wortschöpfung 1876 p. 26, Aug. Fuchs d. romanischen Sprachen in ihrem Verhältniss zum Lateinischen. Uberius rem tractaverunt Mähly, l. l., qui graecorum praecipue usum expendit et Wölfflin. v. etiam Thielmann Anzeige des Vortrags von Wölfflin Blätter für das bayer. Gymnasialwesen 1882 Heft 1/2. C. Bötticher de allit apud Romanos vi et usu Berol. 1884.

quias adhiberet, qui usque ad Vergilii tempus floruerunt, tum maximam partem Ovidii, deinde, ut transiret ad poëtas quarti, quinti, sexti saeculi, „cum in poëtis aevi Augusti primorumque saeculorum p. Chr. n. nullum fere alliterationis vestigium invenisset.“

Certe ea, quae de quatuor alliterationis generibus, a Naekio constitutis, dicit, alterum tertiumque se omittere, cum saepius aures oculosque fallant, mea quidem sententia ei concedenda sunt; sin ordinem alphabeticum, ad disponenda singula, alliteratione ornata, a Naekio optime propositum atque adhibitum,*) suis artificiis postponit, (v. p. 8.)**) mihi non laudandus esse videtur. Credo equidem, Lochium de recta via deductum esse ad tenebras et difficultates, cum sensus similitudinem quaereret, ubi soni similitudo maioris est momenti, cum animorum cognationem admiraretur, ubi corporum cognatio satis est iucunda, denique cum secundarium illud, quod dicit Naekius, pro primario acciperet.

Accedit, quod alliterationum distinctiones ordinesque a sensu petita plane non possunt continere omnes species alliterationis, semper aliquae resistunt, de quibus dubitari possit, utrum his an illis addicantur classibus, immo quae agmina illa et ordines perrumpant et perturbent. Tum non negandum est, etiam alia causa adiuvari placitum nostrum. Si enim quis utitur dispositionibus illis, vel a verborum structura et compositione, vel a principiis grammaticis, ut ita dicam, profectis — velut si colligantur loci, in quibus alliterationem faciunt aut duo nomina aut duo verba, aut verbum cum suo adverbio, cetera, quae Naekius l. l. p. 401. proposuit, Lochius accepit, — saepe dirumpendae sunt alliterationes plurium vocum, eisdem literis factae, quae in uno versu vel in compluribus continuis con-

*) cf. Mähly l. l. p. 208, Wölfflin l. l. p. 6.
**) cf. Naek. l. l. p. 401.

iunctae se erigunt, illustrant, tuentur; debilitatur acies expeditionibus, distrahuntur vires.

Itaque partitio, qua Lochius materiem suam disponit, non ita apta rei atque accommodata videtur.

Nobis tenendum est, quod iam supra commemoravimus, identidemque revocandum nobis in mentem, quamvis alliterationis vis augeatur, acuatur, corroboretur quodammodo paronomasia, quamvis, si synonymorum societas, ut ita dicam, arctiore illius vinculo sit ornata, aures magis permulceantur voluptateque perfundantur, tamen alliterationem non universam confici illa appositione sententiarum vel oppositione sensus — nisi quis partem pro toto vellet accipere — neque omnino ex iis pendere, tamen alliterationem vel externa locorum vicinitate nasci posse, una illa corporum consociatione, i. e. verborum in agmine sermonis se sequentium, quae non nisi paribus initiis sibi inter se destinentur, etsi eorum velut animi vel non consentiant vel plane diversi sint.

Sin altera ex parte quis in consideranda alliteratione annominationes neglegi vel plane praetermitti posse putat, nobis angustioris animi videtur; a disputatione igitur nostra locos, in quibus eo modo ornata atque illustrata alliteratio nobis occurrerit, non secernemus, quia vel illarum festivitatum, ne dicam, anima est alliteratio, at certe necessaria pars, et quia cultiore illa specie ad declarandam tenuiorem, artificiosa ad percipiendam naturalem nobis non parvum adiumentum videtur afferri. Cum enim altius percutiantur aures, si sono illo ornante verba sensu cognata firmius quasi et arctius „confarreentur", vel si inter se repugnantia et opposita velut invita et vi coacta atque conducta hoc simili gestu incedant, credo, eas, assuefactas ad delicias eiusmodi conspicuas, et intentas novis percipiendis, vel minores illos concentus verborum, quamvis

nulla alia affinitate nisi paribus literis coniunctorum, facilius capere, certe posse capere.

Neque hoc negari posse nobis videtur, in carminibus maiore esse vi alliterationem, quam in oratione pedestri; nam non solum facilius comprehenditur alliteratio singulis versibus temporis intervallo disiunctis et semper repetitis eisdem numeris in parvo uniuscuiusque ambitu, qui velut pro toto et perfecto se gerit, quam si solutioribus modis diffluit et variis oratio, sed etiam acrius impinguntur auribus syllabae alliteratione coniunctae, quod, saepe sub ictum cadentes, altius quasi extolluntur, velut duces conspicuae ingrediuntur. Quam alliterationem illis temporibus, quibus carmina ex animis eorum, qui sciebant, non ex libris posteris tradebantur, summum memoriae adiumentum fuisse manifestum est: quia enim cohaërebant quasi conexis vel corporibus sensus, memoria praecedente, ut ita dicam, verbo ad sequentia ducebatur, tamquam praedicebantur posteriora prioribus. Attamen in Romanorum versibus non tam lex strenua*) hanc artem poposcit, quam copia et εὐκαιρία porrexit ut condimentum, ornamentum, delectamentum, velut „lepidum atque opulentum opsonium.“ Suapte fere voluntate et sponte verba illa consonantia extra vel iuxta versus componendi rationem in ipsa conceptione sententiarum concrescebant et ex laeto poëtae ingenio efflorescebant, cognata sine elaboratione, sine lucubrationibus anxiis, sine Lucina difficili. Qua de causa etiam Plautus, sane poëta liberior, ingeniosior, facetior Terentio

*) Klotz „Alliteration u. Symmetrie bei Plautus“ Zittau 1876 nobis probare vult, Mil. glor. v.v. 1.—78. alliteratione continua coniunctos esse, quasi Plautus necessitatem illius formulae senserit. Quod mihi quidem verisimile non videtur, quamquam eo loco etiam v. 17./18. difflavisti-folia et quoius quasi, v. 41. praevolet-velis, v. 59/60. pulcer pallio reprehenderunt, v. 73. in-interim alliterationem faciunt, quae Klotz praetermisit.

alliterationem multo saepius et multo iocosius adhibet quam hic, qui haud scio an magis subtili dicendi generi studuerit.

Age, ut iam, quae dixerimus, ad Plautinum alliterationis usum vertamus. Plautus antiquiorum temporum testis, stilo usus ut versuto, ita nec anxie sollicitevé nec artificiosius expolito, populari linguae suae consuetudini obtemperans, adeo abundat hac luxuria, ut paene opprimamur et submergamur divitiis: undique enim occurrunt alliterationes, quas diximus, naturales, undique artificiosae. Permulta, quae communis sermonis Romani usus tulit, sane ab eo adhibita inveniemus, multa nova, lepida, festiva addidit.

Atque ultimam fere alliterationis originem et quodammodo fetum nos cognoscere vel in ipsam fere eius parturam quasi introspicere posse existimo, si verba talia contemplamur, qualia sunt „babae, bombax, papae, tuxtax"*), alia, quae plane intelligimus non sine concentus illius, quem commemoravimus, desiderio esse orta. Sed etiam ab aliis verborum compositionibus, quae longius ab hac onomatopoeia procedunt, alliterationis studium non afuisse puto; audias, si placet, illa: numnam, quandoquidem, concenturiare, concomitari, concustodire, canalicola, fabrifacta, fervefacias, frigefecit, fumificare, flabelliferae, circumcursare, dicedum, furtificus, introivit, largiloquus, manumitti, mirimodis, multimodis, crurícrepida, collicrepida, perpurgare, praepropere, parcipromi, plagipatidae, probriperlecebrae, subservire, transtinere, subparasitari, puerperium, semisomna, suavisaviatio, veriverbium, alia multa,

*) cf. formulas illas „daries dardaries astataries" vel „huat hauat huat (ista pista sista) domiabo damnaustra" (Cato de re rust. 160) ubi alliterationes, homoeoteleuta, reduplicationes ad sanctum secretumque quoddam effingendum mixtas invenimus. v. Mähly l. l. p. 211., Jordan l. l. p. 182. Bergk. philol. 21, 588. Keller „der saturnische Vers als rythmisch nachgewiesen" p. 46.

quae partim Plautus alliterationis amore ductus et ipse ludens, inusitata antea composuit.

Tum naturali alliterationis generi addici posse puto formulas illas, cognatorum vel eiusdem radicis verborum consociatione coortas, quas Naekius (cf. p. 328. sqq.) hoc loco accipi non vult. Primum eas, quae sunt in vocibus eiusdem radicis, commemoramus: servitutem servire, dicta dixit, metere messem, vota vovere, vitam vivere, certamen cernitur, speculum inspicere, essitabunt escas, sexcenta alia, — vel cum artificio: perditum perdere, actum agere, facta facere. Asserenda sunt, quae exsistunt, si verbum coniungitur cum cognato adverbio, vel cum nomine, adverbii loco posito, ut, „memoriter meminisse, cupide cupere, propere properare, iure iudicare, luce lucere", vel si duo nomina cognata consociantur: „fors fortuna, forte fortuna" vel nomen cum adverbio cognato: „misere miser, bene bonus, malus male" — alia, (quae collegit J. Philippus Pareus in lexic. Plautin. Francof. 1614 cf. Atticism., Parallel.). Cum ne haec quidem sine desiderio concentus illius, sine studio alliterationis*) esse facta, certe sine animadversione eius penitus gustari potuisse non videantur, quamvis ea non magni pendam, ea non expellam. Fortasse, qui dubitat, num hoc recte fecerim, exemplis quibusdam, quae proferam, commotus, mihi assentietur; Cas. IV, 4, 7 quod legitur „mala malae male, si non vult ut alliterationem accipere, spero, eum mihi concessurum esse, tamen consonantiam hoc loco audiri, addito illo; quod sequitur — „monstrant". Cas. grex 4 „manibus meritis meritam mercedem", si crediderit, in vocibus „manibus" et „mercedem",

*) Non video, quomodo sibi constet Naekius, si in soni similitudine consideranda accipit illa: nota nominare —, accelerare, accumbere, accurrere etc., reiiciat: bonus bene, iure iudicare infecta facere, metere messem, coxit coquos, macescere macritudine, facinus fecit, dicta dixit.

litera m iterata, fieri alliterationem, num abnuet, in „meritis meritam“ eam item posse percipi? Adde illud (Pers. V, 1, 9) facilia factu facta sunt; Trin. 1004 témere tínnit tíntinnabulum. Bacch. 726 ímperavisti ímperatum bene bonis (alliter. dupl., de qua non multo post agetur.) Mil. glor. 763 bonus bene — malos — mores. Mil. 600 consultum consilium surripitur saepissume (notabilis est — praeter concon- alliteratio quadruplex in s facta.)

Deinde, vel ubi eiusdem praepositionis repetitioni debetur alliteratio, concentus cupiditatem videmus, quamquam Naekium secuti his locis non multum tribuimus. Quod proprium esse sermonis latini (v. Naek. l. l. p. 334. sq.) ingens exemplorum numerus testatur, undique ex scriptorum Romanorum reliquiis se offerentium, cf. ex Plauti copiis, quod attulimus: Asin. III 1, 19 **cóm**pellare — **cón**trectare — **cól**loquive — **cón**tui. Merc. 360 **ab**didi, **ab**scondidi, **ab**strusam Trin. 406 **ex**potum, **ex**unctum, **e**lutum; interdum quaesitum esse illud, confirmatur Trin. 344 **de**serere et **dé**iuvare Pseud. 1333 **ád**plaudere atque **ád**probare, Casin. III, 5, 36/7 — per omnes **D**eos et **D**eas **d**eiuravit, Trin. 4 **cón**castigabo pro **com**merita noxia Trin. 44 **c**ulpam **c**oncastigabilem Amph. 722 **c**ápies, **q**uod te **cón**decet. Stich. 447 ad **c**enam **con**dicere. Hic non omittamus, quae Klotzius scripsit de praepositionis „con-“ et „am-“ usu Plautino: „**com**plectendi“ et „**am**plectendi“ vox a Plauto ita adhibetur, ut facile intellegamus, eum alliterationem petivisse, non minus in usu vocum „**con**suescendi“ et „**in**suescendi“ v.

Mil. gl. 245 cum suo **am**atore **am**plexantem
Pseudol. 722 agimus amicam **am**plexabere
Poen. V, 4, 58 antestabor amabo **a**tque **am**plexabo
Poen. V, 4, 89 ambae — **am**plectamur **am**bae
Rud. 694 alma ambae — aram **am**plexantes
Bacch. 1199 te **a**mabo et te **am**plexabor

Bacch. 1152 **a**dcurabo **a**mplexari
Trucul. 5, 1, 33 **a**lios **a**mplexarier
Pers. 704 accede, mea, ad me, **a**mplectere

contra:

Men. 1126 **con**tineri, **qu**in **com**plectar non **qu**eo
Amph. 290 **qu**i **com**plexus **c**um illa **c**ubat,
Poen. III, 3, 89 **com**plexum **con**trectare.
Truc. II, 4, 19 **c**opiast **com**plectere
Mil. 1052 **com**pellere **com**plecti — **con**trectare

Amphitr. 1123
cum Alcumena **c**lam **con**suetum **c**ubitibus

Capt. 306
qui **in**perare **in**sueram nunc altrius **im**perio obsequor.

Neque minus saepe occurrit, quam momenti est magni alliteratio in proverbiis, dictis vulgaribus, quae „durando saecula vincunt", quae, florentia sine fine et semper servata eadem figura, deinceps a maioribus tradebantur posteris, in formulis, e vitae cotidianae usu natis, quae quasi lapideae diutissime servabantur; cum omnes eis velut bono publico uterentur, nemo sciebat, unde essent. Ac non mirum est, apud Plautum inveniri talia permulta, saepe repetita. Hic apponamus nonnulla promiscue: pecte pugnis, Di dent, Di Deaeque duint, Di Deaeque perduint, perge porro, felix faustum fortunatumque, docta dicta, doctus dolus, dudum dixi, consilium capere, vivere et valere, sentio et subolet, sapere et sentire, sat scio, satis sanus, sanus et salvus." Quae magnam partem non singulis locis peculiaria, sed usu quasi sancita in unaquaque dictione, communia, perpetua esse intellegimus. Quo loco concedi potest, quod Naekius l. l. p. 326. et 332. confirmavit, tam tritum saepe pervulgatumque fuisse usum illum (velut in talibus: animum advertere, argentum accipere et s.), ut interdum iam non animadverteretur alliteratio, si modo obtinemus

eiusmodi formulas et compositiones ortas esse non sine alliterationis animadversione vel desiderio.

Accedunt, quae Naekius primo mira abstinentia excludit ab aedificio suo (p. 328.), tum (p. 411.) revocata per posticum inducit: artificia, acumine ingenii conquisita, lusus verborum, facetiae argute compositae, quae alliterationis auxilio acrius animis impinguntur, acutius aures percutiunt et captant. In quibus omnibus mentis humanae deliciis percipiendis praecipuum voluptatis fontem esse alliterationem putaverim, quam si dempseris, saepissime iam nuda illa atque frigida, vel prorsus emortua videbuntur.

Iam formae*) quaedam in constituendo alliterationis usu discernendae sunt; creberrima et simplicissima alliterationis species cernitur, si duo verba se sequentia, eadem litera in initiis posita coniunguntur. Saepe autem vel tria, quatuor, quinque concentu illo (ἀθροισμῷ) consonant, saepe totos versus ita perstrepunt quasi alliterationes, ut nulla fere alia audiatur litera, nisi una illa identidem iterata. Ad quae demonstranda, cum exempla quaedam proferamus, accipias ita disposita, ut in primo ordine maiora ingrediantur; tum tenuiora addentur, quae si per robustos illos προμάχους tecta exponimus, iam non veremur, ne quis ea spernat, tamquam si arma ferre non possint:

Alliterationem, quater vel quinquies eadem litera in verborum se sequentium initiis iterata, effectam percipimus

Trin. 1088
periclo per praedones plurumos
Men. 252
potuit paucis plura plane proloqui.

---

*) Quas hic exponam, ut aures nostras, quae illi sermonis figurae non ubique pariter assuetae sunt, ad eius naturam vel artificiosiorem magis idoneas reddam. Praeterea ea de causa feci, quod grammatici quidam, qui huic rei operam dederunt, vel non omnia, quae constitui, genera vel alia quaedam, quae a nobis reiicientur, acceperunt.

Mil. glor. 221
anteveni aliqua atque aliquo actutum.
Mil. glor. 226
comminiscere, cedodum calidum consilium cito.
Men. 5
argentum accipite atque animum advortite.
Pseudol. 754
male malum metuo miser.
Men. 404
(supellex) pellionist. palus palo proxumumst.
Bacc. 1005
sat sic suspectus sum.
Most. 352
mali maeroris montem maxumum.
Capt. V, 3, 5
pater peculiarem parvolum puero.
Truc. II, 6, 3
multos memoravisse milites mendacium.
Curc. I, 2, 22
screanti, siccae, semisomnae.
Poen. V, 4, 9
praepotentes pulchrae, pacisque potentes.

Quae consideranti Naekio si (l. l. p. 406.) alliterationis usus nonnumquam nimius*) videtur, dubitem, an responderi possit, hac ridicula abundantia lepidaque luxuria colorem, ut ita dicam, comicum saepe apte augeri et iocose illustrari.

Iam veniamus ad minutiora nostra: si tres vel duae voces continuae alliterationem faciunt. Quae saepius inveniuntur dictiones hic se ostentent: „pecte

*) Etiam Graeci versum habent similem illius Enniani: o Tite tute Tati tibi tanta turanne tulisti,

πέντε καὶ πεντήκοντα πόδας ἐπέδησε Φάϋλλος.

pugnis, plane periimus, parvi pendam, mala multa, mitte manu, mel meum, mala mulier, triginta talentis, metuo magis, metus me macerat, sat sapio, subolet sentio, sermones serere, tute tecum, tergum tegam"; in uno verbo (qualia supra enumeravimus): **cruricrepida, plagipatidae**".

Cum concedamus etiamsi verbis aliis, alienis sono, intersertis, disiungantur voces paribus initiis simile sonantes (ut temperetur interpellatione aliarum vocum acrior alliterationis continuae impetus, — cf. Naek. l. l. p. 345, — qui quasi „verbis verberat"), tamen vim alliterationis non funditus everti neque evanescere, saepe ne debilitari quidem: simul monendum erit, ea re conspecta, cavendum esse, ne quis audacius arripiat omnia, quae modo quasi mussantia concinunt, et suspiciosius accedendum esse et deliberandum, utrum hanc soni consonantiam singulis locis auditam esse, certe audiri potuisse, tibi persuadere possis necne. — In eis v. v., quos ad hoc demonstrandum collegimus, audiri potuisse alliterationem quasi disiectam existimavimus:

Stich. 85
pérplexabiliter earum hodie pérpavefaciam péctora.

Most. 536
pol ego perii plane in perpetuom

Bach. 933
o patria o Pergamum o Priame, periisti senex

Trin. 131
argentum amanti homini adulescenti animi

Mil. glor. 630
praeripio pulpamentum neque praevorto poculum

Quo loco nobis in mentem revocemus, quod supra obiter commemoravimus, magis conspicuam esse alliterationem, imprimis, quam diximus, disiectam, si sub ictum cadant syllabae alliteratione coniungendae, etiamsi non omnes, certe nonnullae.

(v. s. Bacch. 933. Most. 536.) Trin. 162 pérge porro próloqui. ibid. 205 se símulant scíre neque quicquam sciunt. ibid. 1008 súbito metus exoriatur scápulis stultitia. 1103 séquere Stásime: em! strénue. 949 quós ego quáero, quíbus. 780 própemodo atque ausculto pérlubens. 377/8 pacto ei póteris pátiar? pátiundumst, pater. Mil. glor. 951 quín — quam — quae. 1327 quóm — quando — quia.

Quibus praemissis, facile nobis concedetur, vel in mediis vocibus, si syllabae modo singulae praefixae sint literis, cognatarum adventum exspectantibus, posse alliterationes animadverti, modo ne minutiora quaeramus. Quam enim Naekius l. l. p. 380.—87. sub II. et III. disputationis suae constituit: „alliterationem in una postrema et altera prima syllaba“, vel „in una prima et literis vocis alterius mediis“, tum alliterationem „in mediis vocibus“ factam, non recipiemus, excepta alliteratione in verbis compositis; nam non credibile nobis videtur, spinosiora illa et subtiliora*) tumultuoso sonitu **emi minimo**, pro **equo** le**c**tus, has**t**a **t**alus, ip**se se**ram, mala**cum c**apiam, sar**ta t**ecta, di**ct**um fa**ct**o, **di**em a**di**mere“, cetera, quae interdum dedita opera elaborata esse sibi persuasit Naekius, ab ullo alio — ne a poëta ipso quidem — quaesita esse, si quaesita essent, inveniri potuisse, si inventa essent, audiri in agmine verborum, nisi quis, soni auceps, captasset vagas vanasque imagines. Itaque, quamvis dubitemus, an in mediis vel

*) cf. Klotzius l. l., qui Lorenzii adnotationes ad Mil. glor. factas secutus, alliterationem audiri posse putat in vocibus talibus, quales sunt: „**am**ant te o**m**nes“ (Mil. glor. 58) „o**m**nes **m**ortales (108) „**si**vi **vi**vere“ (54), „**ad**sentandumst **m**entibitur“; illa sane non accipiemus, quae illi putant audiri potuisse: „glo**r**ia**rum** ple**n**io**rem**. Contra: Wölfflin l. l. p. 6. Neque magis mea quidem sententia literae „re“ in vocibus „**re**rum c**re**ator“ alliterationem faciunt, quod sibi persuasit Huemer („Untersuchungen über die ältesten, lateinisch-christlichen Hymnen“ p. 52).

vocabulorum simplicium syllabis, si ictu sint notatae, alliteratio interdum possit audiri (cf. Pseudol. 158 cúm secùri cláudicàli — plús opórtet) — quod prorsus negare non audemus, — satis nobis erit, demonstrasse, verborum compositorum secundam vel tertiam partem alliteratione cum aliis verbis simplicibus vel compositis posse coniungi. (Praepositiones vel syllabae tales, quales sunt „re-“, „se-“, „dis-“ similes praefixae alliterationem numquam impediunt.) Dabo, quae annotata habeo: expediam potissimum; effregisti foras; subdola decem; introrumpam recta; abripuit repente; suam sororem despondisse; exprobra pater; adprime probo; numquam quisquam; improbior perhibetur; quoque nequiquam; sesquipede quidamst quam; multipotens pectus; linguam largiloquam; pedetemptim tu tractari; aucupes confit cito; sescentae causae conligi; trecentae causae conligi; quindecim dies; Di perdant; dixi iamdudum; delenifica facta fallacias; benefactis frequens; plagigerula genera; loculi lubrici bilibris; facete deludificari; quia nequit, qua; laetificantis faciam fiant; nevolt-eveniunt; egomet memini mihi, mirimodis mirabilis; dimittam mihi; matri multimodis; multimodis meditatus egomet mecum, mala-dimidiumst mali; memento dimidium mihi; parvolam puellam proiectam-angiportu; eugepae porro; fecisti gerulifigulos flagitî; manufesto faxo; univorsum voluit avortere; mavis varius virgis vigilias. credo misericors; nego enimvero advenire nunc; hodie donavit; plateas perreptavi myropolia; tresviros vestraque; discipulum semidoctum: dedi Philodamo; Callidamates, Di te; improviso inveni.

Sed latius effunditur alliterationis copia in Plauti fabulis: saepe enim in unius versus ambitu duplices vel triplices alliterationes occurrunt, variatis eleganter literis, ita, ut bis binae, vel ter binae, vel bis ternae dictiones, diversarum literarum conspirationibus concordes, conclament, se excipiant, deinceps se sequantur, vel continue,

vel, alienis vocibus interpositis, distractae „Habet enim“ ut I. Jov. Pontanus (f. 128 a. l. l.) dicit, suavissimum condimentum, quoties alliteratio ipsa eodem geminatur in versu, per diversas tamen dictiones ac syllabas.“

Age, ut iam exempla aliquot ex summis Plauti divitiis depromamus:

alliteratio triplex legitur (continua)

Bacch. 1088
stulti stolidi, fatui fungi, bardi blenni buccones

Men. 867 (disiecta)
cursu celeri facite inflexa — pedum pernicitas

Trin. 963
— hic homo, heus — te tribus — verbis volo.

Epid. I, 1,24
— dices digniorem — hominem hodie Athenis alterum

Cistell. II, 1, 9:
raptat retinet, lactat largitur — dat — dat deludit.

Pseud. 956
minus malum hunc hominem censebam coquom

Pseud. 678
centum consilia sola devincit dea

Poen. III, 3, 34:
canes compellunt in plagas lepide Lycum

alliteratio triplex per duos versus effusa,

Capt. IV, 1, 3/4
laudem, lucrum ludum — festivitatem ferias
pompam, penum, potationes

Cist. I, 3,53 perdite perduelles parite laudem et lauream
— 54 ut vobis victi Poeni poenas

alliteratio duplex

Asin. III, 2,19 astutos artatos viros valentes virgatores
Merc. 639 varum ventriosum, bucculentum, breviculum
Merc. 630 claudu's caecus mutus mancus

Trin. 818 eo ego ergo igitur intro
Capt. III, 5,3: sator sartor scelerum et messor maxume
Pseud. 994
atque accipere argentum actutum mulieremque emittere
Pseud. 1123 allit. dupl. (implicata.)
á me accipiat atque amittat mulierem mecum
Bacch. 628
multa mala mi acria atque acerba
Bacch. 490
perdam perire me malis malim modis
Mil. glor. 356
minume malas — malae mihi solaest — superfit.
Trin. 265
praecipitavit peius perit — saxo saliat.
ibid. 268
profanum puplicum privatum habet hiulca
ibid. 102
— cives comedis — parvi pendere
Trin. 829
pauperibus parcere — ditis dampnare — domare
Pseud. 217
tu — tibi — tot — tam oleo onustos
Mil. 198
dolum doloso contra conservo
Rud. III, 4,29
tu'n trifurcifer
Truc. IV, 1,5
dona deamata acceptaque.

Quo loco, quod Naekius observari vult, non neglegendum esse existimo: monet enim sapientissime, alteram alliterationem, quae si sola et destituta in finibus versus erraret, aures fugeret et oculos, facillime evanesceret, summopere adiuvari altera vel compluribus eam subsequentibus, cum (coniunctae et sibi respondentes) altera alteram

sustineat, erigat, corroboret. Optime, nam minus animadverteretur certe illud (Trin. 381) „atque antiquum", nisi sequeretur „senectus sustinet"; minus permulceret aures tritum illud „mores maiorum", nisi adiuvaretur illo „laudant lutitant collaudant" (q. l. Trin. 292).

Artificiosior quodammodo elegantiorque videtur alliteratio, quae dicitur, implicata vel alternans, concinnitate quadam et complicatione (v. Pseud. 66 „comprehensiones artae amantum comparum") insignis, vel ut sibi respondeant a b b a, vel ut a b a b inter se congruant.

Sed ne haec quidem ardua operosae Minervae opera exorta esse contendo, sed duce sane inveterato illo concordiae vocum amore ex ingenio poëtae lepidi effloruerunt.

Quam iocose vel has luxurias variaverit Plautus, satis, spero, exempla illustratura esse, quae contuli:

Trin. 1023
surrupuerit currenti cursori solum
Trin. 414
apparere si sumas potest
Pseud. 631 a b b a a (c c)
vae tibi tu inventu's vero — (furcillet fidem)
Men. 998 a b b a a a
quid voltis vos; quid quaeritatis? quid —
Bacch. 695 (a a) b c c b b.
(vix videtur) fieri posse perge ac facile confeceris
Trin. 948 dupl. impl. a b b c c a
dimittam — velle video — hos homines — mihi
Bacch. 1196 (a a) b c c d d b
(ne obnoxius) filio sim et servo mel meum fiunt.
Stich. 287 a b b c a d d c
rex obstabit obviam regem — prius pervortito
Poen. III, 1,27 a b b a (c c)
vinceretis cervum cursu vel (grallatorem gradu)

Curc. II, 3,73 a b b c c a a c
neque diem decet memorari neque nocte morarier
Vel sibi respondent a b a b, non minus saepe aliis amplificata alliterationibus:

Most. 347 a b a b b:
da cito Delphio cantharum circum
Mil. 373
mei sunt maiores siti
ibid. 630
pernix manibus pede mobilis
Men. 338 a b a a b a b
minume hercle mirumst morem hunc meretrices habent.
Pseud. 170 a a b a b
puere prae cruminam pertundas cautiost
Pseud. 365/6 dupl. implic. per duos versus continuos progressa all.: a b a b a c c a
fur! babae! fugitive! bombax! fraus populi planissume
366: fraudulente
Trin. 574 abditior quodammodo alliteratio, sed ne hoc quidem loco eam aures attentas fugere posse existumo:
„numquam edepol quoiquam expectatus
Mil. glor. 1137 a b a b b b
neminem videor nisi volumus conventum vos
ibid. 1318 litera m, s, v iteratis luditur:
a b c a c b
matri si valerent mecum venisset simul
Men. 306 a b c a b c a
numquam vidi neque veni negas
Mil. 190 a a a a b b a b
domi dolos domi delenifica facta domi fallacias
Mil. 1161 a b a b
lepide facete deludificari (artif.)
Bacch. 108
sequere — lotum — sedes lassitudinem

Rud. I, 2,48
Veneri paravi vasa et puteum
Rud. II, 1,13
domum clanculum dormimus incenati
Truc. IV, 3,52
insipientes factum sapientes feras.

Non raro in Plauti fabulis duo (vel complures) versus continui vinculo alliterationis coniunguntur, velut si proximum prioris versus verbum cum primo posterioris versus, vel si complura in utroque versu concinunt. Nam ne hac quidem itineris longitudine plane debilitari potest alliteratio

Stich. 276 pectus porto laetitia lubentiaque
277 lubet — proloqui profecto
Mil. glor. 348/9
348 set — subparasitatur semper — proxumast
349 primus — primo pulpamentum
Bacch. 408 Lyde, leniter saeviunt sapiunt magis
409 minus mirandumst
Mil. 921 novi (indolem) nostri (ingenii) navis
922 nempe novisti — (militèm meum — mirum)
Pseudol. 27 cur inclementer — lepidis literis
28 lepidis — lepide
Most. 800 liceret
801 lucri —
Merc. 303 ludum litterarium
304 Lysimache
Mil. 1358 mihi mi — mentem mores
1359 mutandi muliebres mores
Rud. III, 3,23 muliebri — miserae — mentem
24 mihi mortis metus membra
Pseud. 180 — mammillae mellitae
181 manipulatim munerigerulae

Etiamsi secundi versus initio alienum quasi verbum intersitum est, tamen alliteratio audiri potest

Stich. 209 maxuma — misero mihi
210 — me mancupia miserum male
ibid. 420 multas — miserias mulcaverint
421 multis miseriis
Bacch. 579 — pulsat propudium
580 — panem — pedes — potes
Pseud. 372 — multa mala (dicta dixistis) mihi
373 — mihi — miles (quinque quas — minas)
Bacch. 1006 — porro perlego
1007 pudet prodire pater

per complures versus alliteratio continuata est in Stich. v. v.
v. 174 parvo pater
175 pausillo puero
176 propter pauperiem repperi cf. Epid. V, 1,18—23 (alliteratio litera p iterata).

Theses.

I. In Romanorum usu alliterationis, quamvis quodammodo alliterationi Germanorum similis sit, tamen rythmi figura, quam dicimus Stabreim, inveniri non potest.

II. Alliterationem in vulgari Latinorum sermone diutius viguisse contendo, quam in scriptorum reliquiis eam comprehendere possimus.

III. Cum in duarum gentium oratione alliteratio exsistit, per se testimonium satis firmum non est, eas propinquiore affinitatis vinculo coniunctas esse, quam alias, quae hac sermonis forma careant.

IV. Epitaphium A. Atilii Caiatini sive Calatini (v. Cic. de fin. II. 35, 116 et Cat. mai. 17, 61) sic restituendum esse opinor:

oino honc ploirumai cosentiont gentes
populi primario fuise viro.

Vita.

Natus sum Johannes Arthur Baske in oppido Osterode a. d. XI. Cal. Nov. a. h. s. LIV. patre Johanne, matre Natalia e gente Sydow, quibus adhuc vivis laetor. Fidei addictus sum evangelicae. Nonnullis annis post pater in oppidum Heilsberg, deinde in vicum Finkenstein nominatum se contulit, ubi usque ad hoc tempus sacerdotis officio fungitur.

Primis literarum rudimentis domi imbutus a. LXVI. in tertium ordinem gymnasii Mariaeinsulani, eo tempore Breitero, cui me perpetuo gratum fore confirmo, rectore florentis, receptus sum. Maturitatis testimonio impetrato a. LXXI. civibus universitatis literarum Halensis adscriptus per bis sex menses theologorum imprimis scholis interfui. Deinde Regimontium migravi ibique usque ad annum LXXVI. philologicis studiis et philosophicis operam dedi. Per hos quinque annos scholas audivi horum imprimis virorum clarissimorum: Beyschlag, Erdmann, Heym, Müller, Riehm, Schlottmann, Tholuck; deinde Regimonti Bergmann, Blümner, Friedländer, Jordan, Lehrs, Maurenbrecher, Rosenkranz, Schade.

Quibus v.v. cl., qui studia mea auxerunt benigneque me adiuverunt consilio et auxilio, gratiam debeo quam maximam.

Per hiemem anni sequentis in domo patris versatus per aestatem exercitationes seminarii paedagogici a Schradero v. i. recti frequentavi. Tum usque ad Cal. Oct. a. LXXVIII. munere magistri auxiliarii in gymnasio regio oppidi Bartenstein functus sum. Cal. Dec. a. LXXVII. examen, quod dicitur „pro facultate docendi“ superavi. a. LXXVIII/IX. Regimonti militiam sustinui; anno post magister ordinarius collegio magistrorum gymnasii Insterburgensis adnumeratus sum, unde Schraderi gratia a. LXXXI. magister ordinarius secundus in oppidum Wehlau vocatus sum.